

63
7/8
PRO SANCTISSIMO LI

BRO CHRISTIANÆ CONCORDIÆ

Disputatio Septima, de discrimine legis &
euangelij • quatuor capitum.

1. Status controuersie.
2. An euangelium sit conicio penitentiae.
3. Cur Christus et Apostoli in nouo testamento legem docuerint.
4. Quomodo conciones euangelicæ à legalibus distinguenda sint.

ET OCTAVA

De tertio usu legis.

DE QVIBVS QVÆSTIONIBVS SVB PRÆSI-
dio Salomonis Gesneri S. Theologiæ Doctoris, respon-
debit αώ Δεώ 17. Nouembris. Anno 1593.

M. IOHANNES WESSELVS
Strallundensis Pomeranus.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj.
Anno M. D. XCIII.

CLARISSIMIS
EXCELLENTI DO-
CTRINA
RERVM VSV MULTIPlici,
INSIGNI PIETATE, VIRTUTE
PRÆSTANTISSIMIS
VIRIS,

D. IOHANNI DOMANNO. I. I. D.
Celeberrimo, Inclytæ Reipublicæ
STRALSVNDENSIVM Subsyndico,
Spectatissimo.

D. FRANCISCO IOELI MEDICI-
næ Doctori, eiusdemque Reipu-
blicæ Physico ordinario.

D. M. LAVRENTIO WESSELO,
Diuini Verbi ibidem Ministro
vigilantissimo, Parenti Suauissimo.

THEOLOGICAS has POSITIONES
Veræ obseruantia Testimonium
Debitæ pietatis documentum
Studij & Industriae, specimen.

Offert,
dedicat.
donat.

M. Iohannes Wesselus
Sundensis Pomeranus,

64
CAPVT PRIMVM: STATVS

controuersia.

Thesis. I.

Quod si nulla in parte doctrinae caelestis accurata destina-
tione opus est, ea profecto vel maxime adhibenda,
quando legem & euangelium, quae duo capita uni-
uersam Christianam religionem complectuntur, accu-
rate discernere volumus.

II.

Idq; tres potissimum ob causas: primum enim τὸς Ἐφωταῖς ἢ τὸ
μαθεῖν ἐνεκα faciendum est, ut distinctiois illius adminiculo ver-
bum Dei recte secare, scripta prophetica & apostolica dextre inter-
pretari, & conciones atq; sententias legales ab euangelicis probe
dispescere possimus.

III.

Deinde prodest ea distinctio πρὸς τὴν διδασχὴν, eo quod meritum
Christi eo conspectius & illustrius redditur, quo longius nostra
iustitia ab operum legis commixtione separatur.

III

Deniq; prodest etiam πρὸς τὴν παρακλησιν ad consolationem. Si
enim norint pauidae conscientiae in quem finem lex sit & quorsum
Christus euangelium e sinu patris protulerit facile possunt omnibus
diaboli terroribus occurrere & in Christo sese erigere.

V.

Ac cum duo ista doctrinae caelestis capita in pontificatu faedissi-
me commixta iacerent, singulari Dei beneficio factum est, quod
ministerio D. Lutheri verus legis diuinae usus & germana Euan-
gelij vis commonstrata est.

VI.

Sed paulo post de eo ipso discrimine in Scholis & Ecclesijs Au-
gustanae confessioni addictis non leuiter disceptatum est. Contro-
uersia enim oborta fuit de vera Euangelij definitione.

VII.

Nam aliqui non contenti fuerunt ea Euangelij definitione,
qua dicitur, Euangelium esse laetissimam concionem a filio Dei ex
sinu aeterni patris prolatam de gratuita peccatorum nostrorum
remissione, sed adiecerunt insuper: euangelium quoq; esse concio-
nem penitentiae.

VIII.
Argumentum isti habebant: Quia fons & caput omnium peccatorum est ἀπιστία & incredulitas; Euangelium verò incredulitatem arguit: Ergo euangelij proprium est arguere peccata.

IX.
Istis sese opposuerunt, qui constanter asseriebant, Euangelium propriè loquendo nequaquam esse concionem pœnitentiæ, sed meram Dei gratiam & misericordiam in Christo promissam hominibus annunciare.

X.
Incredulitatem, in qua ante agnitum Christum hæssissent, Euangelium non arguere, sed à lege uituperatam & damnatam gratis condonare, & ab ea liberare.

XI.
Quapropter de vero legis & Euangelij discrimine nobis discernendum nunc est & id imprimis explicandum, legis ne an Euangelij propria & genuina sit pœnitentiæ concio.

XII.
Nam si hanc litem expeditam dederimus, dubium nō est, quin inde intellecturi simus, quo discrimine lex & euangelium distent, quod ut eo rectius animaduertatur, quatuor capitibus rem vniuersam comprehendemus. Primum enim distinctione controuersiam componemus, deinde quo sine Christus in nouo quoq; testamento legem interpretatus sit ostendemus: tertio verum discrimen legis à fine & officio utriusq; eliciemus: deniq; quam necessarium sit utrumq; doctrinæ genus concludemus.

CAPVT SECVNDVM: QVÆSTIONIS

explicatio.

Thesis I.

Controuersia proinde principalis in ista quæstione est, an Euangelio competat concionari de pœnitentiâ, id est, adhortari homines ut peccata sua agnoscant, deplorent & pœnitentiâ agant. Hoc enim aliqui asseruerunt, alij negarunt.

II.

Re diligentius considerata animaduertimus duplicem in quæstione ἀμωνυμίαν inesse, quæ sic explicetur, cuius liquidum est, quid de negotio statuendum sit. Primum enim τὸ εὐαγγέλιον non vno sed pluribus modis dicitur. Ac ne alias nūc significationes in mediū profere-

proferamus, quæ græcas literas tractantibus in promptu sunt: in nouo sane testamento reperimus dupliciter eam vocem usurpari. Primum enim Euangelium εὐαγγέλιον ἢ ἀδυναμίαν significat totum librum & volumen vitæ, actionum & concionum Christi; quo sensu Euangelium secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Iohannem, nuncupatur.

III.

Quo significato utraque coniunguntur, tum interpretatio legis tum gratiæ diuinæ annunciatio. Sic enim Marci primo. Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei: quod euangelium mox ibidem in concionem pœnitentiæ & promissionem gratiæ tribuitur. Similiter discipulis suis saluator Marci. 16. 15. mandat, vt prædicent euangelium omnibus gentibus: apud Lucam verò 24. 47. summam eius concionis in eadem illa duo diuidit: sic scriptum est, & sic oportuit pati Christum & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ipsius pœnitentiam & remissionem peccatorum.

III.

Nec aliter D. Paulus Act: 20. 21. obtestatur Ephesinæ Ecclesiæ antistites, se nihil doctrinæ cœlestis occultasse aut omisisse, & ibidem summam vniuersæ suæ doctrinæ in duo capita refert, pœnitentiam nimirum erga Deum & fidem in Christum.

V.

Itaq; Iohannes baptista, Saluator ipse & Apostoli suas conciones inde exordiuntur, ut homines ad pœnitentiam adhortentur. Matth. 3. 2. Marc. 1. 4. Luc. 3. 7. Matth. 4. 17. Ab eo tempore cœpit Iesus concionari & dicere: Agite pœnitentiam.

VI.

Alia verò est significatio quando Euangelium accipitur εὐαγγέλιον ἢ ἀντιπρόσθετος νόμος ita ut ei opponatur lex. Rom. 10. 15. Es. 52. 7. Quam speciosi sunt pedes euangelizantium pacem. 1. Cor. 15. 1. Notum vobis facio fratres Euangelium quod euangelizavi vobis, quod & accepistis, in quo etiam statis, per quod & saluamini &c. Act. 20. 24. Euangelium gratiæ Dei. Rom. 1. 16. Ita Apostolus Gal 3. clare distinguit concionem de operibus legis, & ἀκοήν πίστεως doctrinam de fide in Christum, quæ alia non est quam Euangelium: quemadmodum mox cap. 4. duo testamenta seu duo doctrinarum genera. duobus filijs Abrahamæ præfigurata fuisse ostendit.

A

Altera



VII.

Altera homonymia est in vocabulo pœnitentiæ. Quandoque enim per pœnitentiam intelligitur tota hominis conuersio. Luc. 13. 3. & 15. 7. 10. Aliquando μετάνοια pœnitentia accipitur pro prima parte pœnitentiæ, quæ est peccatorum agnitio & contritio, ut pote Marci. 1. 15. Luc. 24. 47. Act. 20. 21. Quæ quidem partialis significatio tum manifesta est, quando ἀντιδικημένως pœnitentiæ adiungitur fides, remissio peccatorum, gratia: tum enim non totam conuersionem sed partem eius denotat ut iudicatis locis videre est.

VIII.

Ex hac distinctione perspicuum est, si euangelium sumatur de libris & concionibus noui testamenti, quod non modo gratiam Dei annunciet, sed etiam iram eius aduersus peccata ante oculos statuatur: & non modo credere iubeat, sed etiam peccata damnet & ad sanctimoniam vitæ adhortetur singulos: quando autem distinctè de euangelio, quatenus à lege separatur, loquimur, ibi non nisi gratiæ conuincio est: Similiter si pœnitentiam pro contritione accipiamus, tantummodo legis, si pro conuersione ad Deum quæ fidem quoque complectitur, tam legis quàm euangelij erit.

CAPVT TERTIVM: QVARE IN NOVO
testamento lex doceatur.

Thesis. I.

Melius hæc intelligi possunt, si consideremus causas, propter quas Christus & Apostoli in nouo Testamento legem inculcauerunt, & nobis, quod imitemur, exemplum reliquerint, sunt autem tres præcipuè.

II.

Primum enim cum Christus sit autor & dator legis, nemo sententiam legis rectius intelliget: & cum non modo saluator sit mundi, sed etiam Rex, & Iudex viuorum & mortuorum, non immeritò tabulas iudicarias ipse explicat.

III.

Ac quæadmodum Christo ratione officij regij & iudicarij conuenit legis interpretatio; Ita omnibus noui testamenti ministris idem negotij imponit Spiritus Sancti, cuius instinctu loquuntur sancti Dei homines, munus ἐλεγκτικόν. Neque enim spiritus sanctus solùmmodo παράκλητος & consolator est, sed arguit & conuincit, damnat & punit etiam mundum Iohan. 16. 8.

Secunda

IV.

Secunda causa est τὸ ἰσθιῆς & ἀτελής concionum legalium. Nam si nuda lex hominibus sine mentione Christi proponatur, tum alterutrum consequi necesse est, ut uel inani φιλαυτία inflentur & timidi efficiantur pharisæi & hypocritæ, uel periculosa μικροψυχία animo deiectionem ruant: Itaque Christus legem spiritualiter interpretatur, peccata quidem nostra legis censura agnoscenda nec tamē deperandum esse: & bona quidem opera præstanda, neque tamen illis audaciter fidendum & inaniter superbiendum esse.

V.

Tertia denique est τὸ ἀσαφές Mosis. Si enim interrogatur, anne Moses simpliciter animos uel ad superbiam concitet, uel in desperationem detrudat, & nulla ratione medium illud iter, quod est ad Christum commonstret? Responso parata, quod quidem monstret, non directe sed oblique, non palam sed obscure sub integumento cæremoniarum & sacrificiorum veteris testamenti. Nam Mosis faciem oportuit esse velatam, usque ad Christum, qui velamen illi detraxit, 2. Cor. 3. 14. Ex. 34. 33. & lex habet umbram futurorum Col. 2. 17.

VI.

Quæ quidem eo conducunt: primum ut contra Antinomos certissimus, in nouo testamento exhibito euangelio legem minime conti cescere: deinde & discrimen utriusque doctrinæ in conspectu habeamus & in concionibus prophetarum, Christi & Apostolorum scire possimus quæ νομικῶς quæ ἑναγγελικῶς sint tradita. Nam ut Moses propriè arguit peccata & Deum iratum monstrat, obliquè deducit ad Christum: ita uicissim euangelium perse annunciat gratiam Christi & ostendit Deum placatum, per accidens propter auditorium σκληρότητα & τραχύτητα peccata accusat.

CLPVT QVARTVM. VERA INTER LEGEM ET
Euangelium differentia.

Thesis I.

Interim tamen quoties uel in veteri testamento occurrunt vaticinia de Christo, uel in nouo reperiuntur obiurgationes & comminationes legales: accurate hæc discernenda sūt, neq; diuersæ doctrinæ inter se temere commiscendæ

II.

Discrimina legis & Euangelij plura sunt, sed illud omnium certissimum, quod à fine seu officio utriusque petitur. Officium itaque legis, de quo postea pluribus agetur, unum est, quod immutabilem

fabilem Dei voluntatem nobis reuelat, & ostendit, quid Deus a nobis exigit, & quales nos esse velit: deinde cum ea, quae lex postulat, praestare nequeamus, ideoque nos increpat & temporalium ac aeternarum paenarum comminatione terret, peuitusque damnat.

III

Ex quo colligimus, ea legis esse omnia, quae vel obaediencia a nobis flagitant, vel immorigeris ultionem diuinam denunciant, siue illa in veteri siue in nouo testamento reperiantur.

III.

De ἀπιστία & incredulitate quaestio est praecipua, quam supra attigimus, eane ad legem vel ad euangelium pertineat. Sic enim aliquis ratiocinaretur: contrariorum eadem est doctrina. Fides autem est euangelij: Ergo incredulitas eodem refertur. Vnde efficietur: cum incredulitas sit mater omnium peccatorum, si ab Euangelio arguitur, quod euangelij munus sit arguere peccata, quae ex incredulitate promanant.

V.

Idem de lege concluditur. Contrariorum eadem est doctrina. Sed lex arguit incredulitatem. Ergo lex docebit fidem in Christum: ac si non docet fidem, perperam damnat incredulitatem. Si docet fidem in Christum. Ergo fidem in Christum tradere non erit proprium Euangelij.

VI.

Hoc dubium distinctione soluitur. Nam docere itemque arguere, quae sunt contraria, dupliciter accipitur, uel κατὰ τι & ἀμυδρῶς συγκεχυμένως sicut docentur in vna disciplina saepe ea, quae ex alia repetuntur & assumuntur, uel ἀπλῶς καὶ ἀκριβῶς sicut propria & genuina cuiusque doctrinae & artis in ea traduntur idque κατ' αὐτό πρῶτως

VII.

Hinc solutio dubij emergit. Na in ista ratiocinatione nulla est conexione causa; si fidem docet euangelium proprie & per se, quod etiam incredulitate proprie & per se arguat: & ἀντιεξαρτημένως. Si lex incredulitate accuset & danet, quod fidem in Christum plene tradat. Nam parentes illiterati liberos suos ipsiquidem non docent liberales disci-

disciplinas, postquam autem magistris erudiendos tradiderunt, urgent & instigant, ac si parum proficiant, serio reprehendunt & puniunt. **VIII.**

Ita quoque lex quidem ipsa ἀπλῶς Christum non docet, si verò ex euangelio eum non agnouerimus, damnat: fidem item nō modo historicam sed etiam saluificam postulat & exigit, neque tamen ipsa fide in Christum nos instruit sed euangelio instruendos tradit. Contra euangelium ἀπλῶς & κατ' αὐτὸ docet nos nō modo historiam de Christo, sed etiam fiduciam quam ex operatione spiritus sancti per concionē euangelij concipimus: si vero vel historiam ignoremus, vel fiducia careamus, ipsum quidem ex sese non irascitur, sed legem monstrat, ex qua iustissimam incredulitatis Vindictam aduertere possumus. Summa: Lex Euangelium, & hoc illam digito monstrat: euangelium non est lex neque lex est euangelium, sed euangelium lege & hæc illo utitur.

IX.

Vnde intelligitur, quod lex & euangelium τῆ θεωρίας & proprijs finibus seu officijs determinata sint, fieri tamen nequeat quin ἐν τῆ πράξει χάρις mutuas tradant operas, & ita coniuncta sint, ut diuelli nequeant.

X.

Euangelij vero proprium munus est docere, quid credere debeamus, ut æternam salutem gratis absque operum meritis, quæ in nobis nulla sunt, adipiscamur. Itaque hic discimus, Christum 1. suscepisse omnia nostra peccata reatu & imputatione in sese: 2. irā quoque Dei aduersus peccata in se transtulisse: 3. pænam nobis debitam luisse & iustitiæ diuinæ nostro loco satisfacisse: 4. denique vniuersa sua beneficia nobis donasse, suamque obædientiam nobis imputasse, atque ita saluos facere omnes, qui hæc firma fide amplectuntur. Rom. 4. 3. 2. Cor. 5. 14. 1. Cor. 1. 30.

XI.

Quapropter, vt verbo negotium complectamur, Lex est ministerium quod per literam occidit & damnationem denunciât, 2. Cor. 3. 6. Euangelium autem est potentia Dei ad salutem omnium credenti. Rom. 1. 16.

XII.

Quādo verò lex ab Euāgelio in hunc modum discernitur, nō id eo rapiendū est, quasi alterū doctrinæ gen9 absque altero in populo Dei unquā vel traditum sit, vel tradi debeat, Nā ut ut ipsa respectu sui



fui discriminata sint : tamen in ecclesia nullo modo sunt diuellenda. Atque ita in paradiso : ipse Dei Filius primis parentibus statim post lapsum tonitrua & fulmina diuinæ legis prius ostendit quam Euangelij promissionem patefaceret. Quod etiam patriarchæ postea & prophetæ sunt imitati, ideoque ipse saluator legem in manus sumsit & grauissimè interpretatus est, suisque discipulis & discipulorum successoribus eius explicationem serio mandauit.

OCTAVA DISPUTATIO DE TERTIO usu legis Moralis.

Thesis I.

Ex eo quoque facile iam erit animaduertere, quid de illa disputatione sentiendum sit, quam nonnulli de tertio legis usu mouerunt, quam nunc quoque breuiter expediemus.

II.

Nam tres esse legis diuinæ usus in confesso est. Primum enim lex ideo diuinitus data est, ut esset custos disciplinae externæ & locomotiuam regeret ac gubernaret, qui usus est politicus : deinde prodest lex eò, quod arguit peccata & naturæ nostræ deprauationem nobis ostendit, qui usus est theologicus elencticus. Ac, quando hoc officium lex exequitur simul oblique Christum monstrat, qui pro nobis iustitiæ diuinæ satisfecit. Nam cum nostrum morbum arguat, medicum quærendum esse inuuit : ipsa tamen lex, quis ille medicus sit non explicat, præterquam, quod medico nobis opus esse morbi indicio significat : idemque facit quod pædagogus qui ad magistrum ducunt, ipsi cum docere nequeunt, ideoque pædagogicus etiam hic usus est. Gal. 3. 24. tertio denique lex ob eam causam data est, ut renatos doceat quod cultus & opera Deo placeant Ez. 20. Rom. 8. Ps. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Hic usus etiam theologicus, sed dogmaticus.

III.

Priores duo usus extra controuersiam manserunt, de tertio autem inter Augustanæ confessionis disceptatum fuit.

III.

Nam aliqui contenderunt legem Moralem Mosis non esse in renatorum ecclesia tradendum & inculcandum.

V.

Cuius assertionis duo potissimum argumenta sibi uisi sunt habere. Primum fuit : Quia iniustis & impijs lex est posita, non iustis qui

68
qui à lege liberati sunt Christi obædientia. Ideo q; inquit, renati
non sunt onerandi legis concionibus.

VI.

Deinde ita ratiocinabantur. Si regenerati aguntur Spiritu Dei: habent
intra se doctorem & magistrum, à quo ad bona opera Deo pla-
centia excitantur & instigantur, ut iam sponte & cupide bona faciant
& à malis abstinere. Quare non erit opus legis terroribus.

VII.

Alij contra statuerunt: In ecclesia novi testamenti & renatorum
legem Moralem necessario retineri, doceri, inculcari, & ab homi-
nibus obædientiam flagitari.

VIII.

Quam quidem sententiam verbo Dei traditam & confessioni
Augustanæ consentaneam nos etiam palam profiteamur.

IX.

At quod ad illorum obiectiones attinet facile dissolui possunt.
Primum enim libertas Christianorum est ἀπολυτρωσις à maledictione
& æterna damnatione, quæ ex sententia legis omnibus incum-
bebat. Non autem est licentia & legis antiquatio aut abrogatio.

Gal. 3.

X.

Operatio verò Spiritus sancti in renatis non est immediata, sed
Spiritus sanctus, ut alioquin per Verbum & sacramenta est efficax
ita per legis concionem renatis ostendit, quibus abstinere & quæ fa-
cere debeant. Qui proinde legem rejciunt, quid, quæso, aliud fa-
ciunt, quam quod ad arcanos raptus & entusiasmos à scripto ver-
bo homines abducere conantur? Ps. 1. & 118. Es. 8. Luc. 16.

XI.

Erudiendi proinde sunt homines in lege diuina propter tres po-
tissimum causas. Prima modo est indicata. Spiritus sanctus etenim
non trahit aut impellit quenquam ad bona opera arcana inspirati-
one, sed per expressum Dei verbum.

XII.

Non obstat, quod spiritus sanctus per Euangelij solummodo
concionem, non per legem, hodie datur, vt Gal. 3. Rom. 8. scrip-
tum est. Personam enim fide primum omnium Deo reconciliatam
esse oportet, id quod non nisi concione euangelij perficitur: postea
verò spiritus sanctus in reconciliatis æque per legem ac per euan-
gelium monstrat quomodo in cœpto cursu progredi debeant. Ma-
nifestissimum enim est Paulum Galatis loqui περί τῆς εὐαγγελίας,

vt

ut ita dicam hoc est, de primis auspicijs fidei. Ac ut Spiritus Sanctus per euangelium exercet munus suum τῆς παλιγγενεσίας ἢ παρακλήσεως, ita per legē facit opus suū τὸ ἐλεγκτικὸν ἢ γεμονικόν.
XIII.

Altera causa inculcandæ & urgendæ legis est, quod in sanctis multæ supersunt peccatorum reliquiæ & malitia carnis subinde erumpit. Quapropter ut carni frenum iniicere & libidini reluctari queant, necesse est lege instructos esse. Rom. 7. Gal. 5, Psal. 118. 1. Cor. 9. Ebr. 12.

Postremo denique non concedendum est, ut quilibet sibi pro arbitrio electitios cultus ex priuata ἐδελοδρῆσκεία comminiscatur, quod pontificij faciūt & defendūt. Sed astringendi sunt homines ad certa opera diuinitus mandata. Deut. 12. Matth. 15. v. 9. Es. 29. 13.

XV.
Leue est, quod Bellarminus 4. de pænitentia cap. 4. adfert pro electitijs cultibus exempla Iobi, Diuidis, Achabi, Niniuitarum & aliorum qui ieiunarunt. Quasi verò ieiunia & cinerū aspersiones & cilicium ac reliquæ ceremoniæ animi tristis usitatæ apud Iudeos legi diuinæ repugnent & non in genere legi sint consentaneæ, etsi non in singulis circumstantijs, & quasi præterea eum in finem sint adhibitæ, ut illis ipsis operibus se Deum placare & peccatorum veniam mereri, proque suis peccatis se satisfacere posse considerent. Id quod tamen pontificij tradunt.

XVI.
Lex itaque in Ecclesijs nostris docenda est, ut inde peccata agnoscamus, in obædientia retineamur, & certissimas vitæ regulas habeamus.

FINIS.



AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







63

7/8

SANCTISSIMO LI
CHRISTIANÆ CONCORDIÆ
utatio Septima, de discrimine legis &
euangelij • quatuor capitum.

Status controuersie.
An euangelium sit concio penitentia.
Cur Christus et Apostoli in nouo testamento legem docuerint.
Quomodo conciones euangelicæ à legalibus distinguenda sint.

ET OCTAVA

De tertio usu legis.

BVS QVÆSTIONIBVS SVB PRÆSI-
nonis Geisneri S. Theologiae Doctoris, respon-
dit *cau deq* 17. Nouembris. Anno 1593.

I O H A N N E S W E S S E L V S
Strallundensis Pomeranus.



W I T E B E R G Æ,
Typis M. Georgij Mullerj.
Anno M. D. XCIII.

